

VNIVERSA
PHILOSOPHIA
PERIPATETICA.

Quam in

CATHOLICA ET ELECTORALI
VNIVERSITATE INGOLSTADIANA
TRES E SOCIETATE IESV
METAPHYSICÆ STUDIO SI
PVBLICE DISPVTANDAM PROPOSVERE.

Anno Christiano MDC. IDC. XXXIV.

Ad diem 25 Maj.



INGOLSTADII,
Ex Typographeo GREGORII HAENLINI.

VIRGINI
SINE MACVLA CONCEPTAE
DOMINAE
NATVRÆ VNIVERSAE

Ter Admirabili

M A T R I

M A R I Æ

SS.^{mis} Philosophorum Præsidibus

MAGNO P. XAVERIO

ET

CATHARINAЕ MART. V.

Disputationem hanc

Filij, Clientes Infimi

LL. VV. offerunt, dicant, consecrant,



LOGICA.

THESIS I.



OGICA est scientia strictè dicta, latè practica. Habet pro obiecto operationes mentis ut dirigibiles. Vtens actiue sumpta non differt nisi connotato à Docente. Ens Rationis est cuius esse pendet à ratione. Aliud est subiectuum, aliud effectuum, aliud obiectuum.

II. VNIVERSALE generatim sumptum est vnum quid ad multa pertinens. Aliud est in causando, aliud in significando, aliud in representando, aliud in essendo. Vniuersale in causando est causa plurimorum effectuum, maximè specie distinctorum productiua. Vniuersale in significando est vox multa indifferenter & diversim significans. Vniuersale in representando est conceptus multa indifferenter representans. Eius fundamentum est similitudo naturarum singularium. Vniuersale demum in essendo est conceptus Vniuersalis in representando.

III. VNIVERSALE itaque in essendo (ex quo sequitur Vniuersale in prædicando) est natura abstracta. Materiale ipsius est natura seu naturæ singulares, quantum habent unitatem quandam imperfectam, quæ dici potest similitudinaria. Formale coalescit ex unitate extrinsecâ desumptâ à conceptru, & aptitudine multis inessendi. Fit vniuersale per operationem directam, factum cognoscitur per reflexam. Manet vniuersale in actuali prædicatione. Diuiditur in quinq; species, Genus, Speciem, Differentiam, Proprium & Accidens, quæ analogicè in ratione Vniuersalis conueniunt.

IV. PRAEDICAMENTA sunt decem. Inter hæc sufficit distinctio rationis. Substantiaz etiam immateriales & incorruptibiles ijs includuntur, non item D s v s. Substantia prædicamentum melius ordinatur per concreta, accidentia per abstracta. Substantia est ens quod in nullo est subiecto. Ratio quantitatis generalissimè sumptæ consistit in extensione etiam generalissimè sumptæ. Quantitas molis consistit in impenetrabilitate partium. Realiter distinguitur à substantiæ.

V. RELATIO prædicentalis est purum esse ad, siue merus respectus ad aliud. A fundamento & termino simul cum reliquis conditionibus distinguitur solâ ratione formalis. Terminatus ad terminum ut absolutum. Transcendentalis est entitas inuoluens respectum.

VI. SIGNI Essentia consistit in aptitudine proximâ aliquid significandi. Conceptus medium est naturale & formale signum ipsius vocis. Enuntiatio est qualitas simplex. Eadem semel vera non potest esse falsa aut contraria. Contradictionis altera pars de futuro contingentia est determinatè vera, altera determinatè falsa.

VII. SYLLOGISMVS integraliter sumptus inuoluit plures cognitiones reipæ distinctas cùm aliquâ dependentiâ vnius ab alterâ. Essentialiter acceptus est unus simplex iudicij relatiui actus. Iudicia præmissarum non sunt necessario priora tempore iudicio conclusionis.

VIII. DEMONSTRATIO prætantissima syllogismi species, est ratiocinatio constans ex necessarijs, quæ scientiam efficit. Scientia est conclusio demonstratio- nis. Alia est à priori, alia à posteriori. Scientiæ nostræ ferme sunt à posteriori. Scien- tia totalis est aggregatum per accidens. Eius obiectum debet esse immutabile & exterum in esse essentiaz. Error cum scientiæ pugnat. Intellectu instructo assensu eu- dienti non superuenit naturaliter obscurus circa idem obiectum. Possimus tamen multa scire simul habitu & opinari.

PHYSICA.

IX. PHYSICA obiectum habet Corpus naturale quâ tale. Eius principia sunt duo, materia & forma. Generationis tria, accedente ad hæc duo priuatione. Ma- teria est pura potentia subiectua. Habet propriam, & à forma independentem exi- stentiam. Apperit omnem formam suo modo cuius naturaliter capax est.

X. FORMAE substanciales dantur. Educuntur omnes è sinu materiæ, rationali exceptæ. Commentitum est eas aut earum inchoationes in materiæ sinu delituisse. Partiales in viventibus consistunt cum totali. Corporeitatis est superuacanea. Nulla intenditur vel remittitur. Priuatio formaliter loquendo non est ens quamvis diminutum. principiat desinendo.

XI. Ex materiâ velut potentia & formâ velut actu fit vnu per se. Potentia tamen & actus accipi debent in actu secundo, quo modo inuolunt cōiunctionem substancialis. Ea est modificatio ex naturâ rei distincta à materia & formâ: vnuca in compo- sito: subiectata in materia; distincta ab eductione formæ: continetur in essentia compositi ut Quo. Compositum à partibus vnitis ut sic distinguitur sola ratione.

XII. NATURA est principium motus. Ars naturæ æmula mira operatur appli- cando actiua passiuis; à quâ verum aurum fieri posse non est improbabile. Causarum quatuor sunt genera, Materia, Forma, Efficiens & Finis. Conceptus essen- tialis causæ in actu primo consistit in virtute caussandi, quæ non nisi ratione ab eius entitate distinguitur: in actu secundo in influxu à caussa modaliter distincto.

XIII. CAVSSA Physica naturâ prior est effectu etiam quando actu caussat. Non repugnat in genere caussæ efficientis duas caussas totales totalitate caussæ con- currere ad eundem effectum. Duæ caussæ sibi inuicem caussæ esse non possunt res- pectu eiusdem existentiaz & in eodem genere, licet possint in diuerso.

XIV. CAVSSALITAS intrinseca materiæ & formæ respectu compositi est v- nio, quam neç D E V S supplere potest. Extrinseca respectu materiæ est sustentatio. Hæc caussalitas conuenit etiam iūo modo accidentibus; eorum tamen aliqua ne- cesse est subiectari in materia. Primarius effectus formæ est compositum; secun- darius expulsio formæ, quam D E V S impedit potest.

XV. EFFICIENS requirit existentiam ut causset, distinguiq; oportet ab effec- tu. Eius caussalitas est actio modaliter distincta ab agente, passo, & termino. à pas- sione non nisi ratione ratiocinatâ distinguitur. Actio eductiva recipitur in subiecto termini producti. Est substancialis cum terminatur ad substantiam, accidentalis cum ad accidens.

XVI. CAVSSA

PHILOSOPHICÆ.

XVI. CAVSSA Prima tres habet caussalitates sibi proprias, Creationem, Con- seruationem, & Concursum. Creatio est productio rei ex nihilo, nulli creaturae communicabilis ut caussæ principali: assumi tamen potest tamquam instrumen- tum. Est modus realiter distinctus à termino. Sequitur naturam actionis. Res creatæ de se nihil sunt, ideoq; à D E O non tantum creari, sed & continuo influxu conseruari debent ne pereant. Conseruatio est eadem actio continua cum primâ rei productione. Concursus D E I necessarius est in omni actione caussæ secundæ ex parte caussæ, tum ex parte effectus, hinc eadem est actio D E I & Creaturæ. Concurrit D E V S concursu in differente, quem creaturæ liberæ exponit ad omnia, determinat tamen ad individuum; ab eadem quoad speciem suo modo determinatur.

XVII. CAVSSAE creatæ aliquid reuerat efficiunt etiam ut principales in suo ordine. Forma substancialis est principium principale quo suppositum operatur. Instrumentale proximum sunt ad natæ facultates. Per hæc principia simul sumpta semper producit suppositum creatum tum substancialis, tum accidentia. Instrumen- tum revocatur ad caussam efficientem. Cum est naturale nihil virtutis intrinsecæ superadditum accipit à caussa principali, à quâ dicatur præmoueri.

XVIII. FINIS ratio formalis caussandi est bonitas vera vel apparet. Bonum utile habet bonitatem aliquam intrinsecam. Finis mouet secundum esse reale non autem intentionale. Requirit tamen cognitionem præuiam ad hoc ut actu moueat. Caussalitas finis est motio metaphorica, ab actione efficientis indistincta. Natura vniuersa à suo auctore dirigitur in finem. agentia non libera potius agi dis- cunctur in finem quam agere propter finem, nisi considerentur prout substantia direc- tionis liberi agentis. Casus & Fortuna dantur sano sensu.

XIX. MOTVS qui est actus entis in potentia quatenus in potentia specificatio- nem desumit à termino, sicut & omnis actio. Ad vnitatem numericam insuper re- quirit vnitatem mobilis & temporis. Terminatur ad tria tantum prædicamenta, quantitatem, qualitatem, & Vbi. Motus localis est acquisitionis vbi fluentis. Fit suc- cessiue etiam in Vacuo, licet hoc naturaliter non detur. Idem corpus duobus ma- tib; localibus simul moueri non potest.

XX. LOCUS extrinsecus est superficies prima continens, immobilis. Forma- le illius est immobilitas, & relatio continentiaz, quæ fundantur in Vbi intrinseco certo modo in superficie permanente. Locus itaq; intrinsecus est Vbi, modus ab- solutus, ex naturâ rei distinctus à corpore vbi, independens ab omni spatio etiam imaginario. Idem corpus potest ponи pluribus locis totalibus, & plura vno etiam quantitatue, sed per actionem præcisè tantum adductiuam; neç necessaria est reproductiua.

XXI. TEMPVS essentialiter est duratio motus strictè dicti, sensibilis scilicet & successui continui. Vniuersale est motus cœli quatenus per illum durationem omnium rerum metimur. Duratio rei permanentis est modus ab eadem distinctus. Identificatur actioni conseruatiua. Hæc itaq; necessariò inuoluit successionem si- ne vñlâ tamen termini in propriâ entitate innouatione. Sola æternitas est tota simul ab intrinseco, utpote vnum instans induisibile omnia tempora imaginabilia com-

pleteens. Tempus imaginarium non videtur distingui ab ipsâ Aeternitate, sicut & spatium imaginarium ab Immensitate Dei.

X X I I I. CONTINVM non componitur ex meris indiuisibilibus, sed ex partibus & indiuisibilibus finitis in infinitum. Eas partes actu distinctas ante operationem mentis, et si non diuisas sensus ipse satis aduertit. Infinitum categorematicum in omni simpliciter entis genere creato implicat. Datur itaq; tantum syncategorematicè infinitum etiam obiectuè in mente diuinâ, quod necessariò inuoluit inadæquationem.

X X I V. MUNDVM Deus creguit in tempore. Non potuit fieri ab aeterno neq; secundum res successivas, neq; permanentes. Cum ordinario Dei concursu perennare potest. Est vnicus. Plures tamen etiam specie ab hoc distinctos conditæ non implicat.

X X V. COELVM est corpus simplex constans tamen materiâ & formâ, quæ materia specie à sublunari distinguitur. Mouetur ab Intelligentijs assentientibus, non item animantibus propriæ. Motus raptus physicè rem considerando est incredibilis. agit cælum in hac inferiora per motum, lucem, & alias occultas qualitates.

X X V I. ELEMENTA sunt quattuor, Ignis, Aer, Aqua, & Terra. Mouentur ad sua loca naturalia proximè à grauitate & levitate. Grauitas terræ & aquæ, item levitas aeris & ignis solùm differunt secundum magis & minus. Levia & grauia certius mouentur in fine motus quam initio. Levitatem & grauitatem etiam in locis naturalibus. Projecta mouentur ab impetu sibi impresso. Mobile in punto reflexionis non necessariò quiescit.

X X V I I. GENERATIO substantialis per se instantanea, per accidens successiva; formaliter consistit in vnitione formæ cum materiâ. Corruptio est ens mere negativum. In hac non sit resolutio usque ad materiam primam.

X X V I I I. ALTERATIO est motus ordinariè successivus & continuus. potest quantum est ex parte termini fieri in instanti. Intensio sit per additionem gradus ad gradum in eadem parte subiecti. sunt isti gradus eiusdem rationis specificæ & individualis.

X X V I X. NUTRITIO & Accretio prout ordinariè sunt inter se non distinguuntur. Consistunt formaliter in vnitione formæ viuentis ad materiam alimenti supposita vnitione materiæ alimenti ad materiam aliti, ita tamè ut accretio connotet eam materiam esse quantam, quod non connotat, sed abstrahit nutritio. In Refractione & condensatione producuntur primariò raritas & densitas; secundariò noua extensio localis sine productione aut amissione novæ quantitatis.

X X X I X. IN DISTANS creatura non potest agere. Posset tamen Creator, si non esset immensus. Simile non agit in simile. Actio antiperistica sit subinde ab extrinseco, subinde ab intrinseco. Reflexa ab agente principali. Datur vera & realis reactio.

X X X X. IN MIXTO manent Elementa secundum suas qualitates refractas, non autem secundum entitates. Prima Qualitates elementorum sunt quatuor vulgatae. Calor aeris & ignis specie non differunt. Elementa non habent terminum magnitudinis aut paruitatis intrinsecum, quem tamen habent viuentia.

XXXI.

X X X I. ANIMA est actus primus substantialis corporis organici. Animarum tria, animatorum quatuor sunt genera. Omnes animæ præter rationalem sunt diuisibiles in partes homogeneas. Informant omnes partes corporis continuas. Unica reperitur in singulis viuentibus. Fatus successivè pluribus informatur. Anima irrationalis etiam pure vegetatiua est vera anima, neque adiunctum habet sensituum.

X X X I I. POTENTIARVM quinque sunt genera. Realiter distinguuntur ab animâ. Organicæ recipiuntur in materiâ. Spirituales immediatè solùm in animâ. Profluunt omnes ab anima per resultantiam naturalem, quæ est vera actio modaliter ab ipsis distincta. Specificantur ab obiectis. habent se potentia & actus ut excedens & excessum.

X X X I I I. POTENTIAE vegetatiua sunt tres, Nutritiua, Augmentatiua, & Generatiua. hæc ab illis realiter; illæ inter se solâ ratione distinguuntur. à calore vitali, predictæ omnes. Nutritiua subiectatur in toto corpore. habet partes integrantes diuersæ rationis specificæ.

X X X I V. POTENTIAE sensitivæ sunt partim actiua, partim passiua, constanter permanent in organo nec habent se per modum irradiationis deriuatæ à cerebro. adæquate diuiduntur in quinq; sensus vulgatos Vism, Auditum, Odoratum, Gustum & Tactum. Sensus internus reipsâ est vnicus; residet in cerebro.

X X X V. ANIMA rationalis est actus substantialis, spiritualis, indiuisibili, immortalis, forma verè informans non per replicationem, sed per unionem materiale & diuisibilem. Inexistit corpori extenso per vbi spirituale & diuisibile. Eiusdem perfectionis individualis est in omnibus hominibus.

X X X VI. POTENTIAE animæ rationalis sunt tres, Intellectus Memoria, Voluntas. hæc ab illis realiter distinguuntur, non item memoria ab intellectu. Intellectus possibilis: realiter distinguitur ab agente. est à suo ortu pura potentia in genere intelligibilium. formatur ab agente illustrante phantasmatâ. non est potentia organica.

X X X VII. ACTUS vitalis est actuale exercitium viuentis quæ viuens est. Consistit adæquate in actione, passione & termino. Producitur à potentia vitali concurrente anima tamquam causa principali. Dantur species impressæ sensibiles & intelligibiles, Internæ & Externæ. Impressæ sunt qualitates reales sui obiecti similitudines non formales, sed intentionales.

METAPHYSICA.

X X X I X. METAPHYSICA est scientia, quæ pro obiecto contemplatur ens abstractum re vel ratione. Conceptus entis tam formalis quam obiectuus unus est. cuius ratio in hoc præcisè consistit quod habeat essentiam realem, cui scilicet non repugnat esse aliiquid. Contrahitur ad sua inferiora per duos modos positivus quæ se habent per modum abstracti metaphysici à suo concreto metaphysico.

X X X I X. ESSEN TIA ante existentiam nihil est reale, actualis à possibilitatum

tum distinguitur ut ens à non ente. Ens reale est analogum ad D E V M & creaturam, substantiam & accidens. Porro Analogia diuiduntur in Analogia Attributionis, Proportionalitatis & Inæqualitatis. Analogia attributionis sunt, quorum nomen commune est, ratio verò nomini respondens eadem termino, diuersa habitudine ad illum. Proportionalitatis sunt, quorum nomen commune est, ratio verò nomini respondens proportionaliter eadem. Horum vnum semper est metaphoricum. Inæqualitatis sunt, quorum nomen commune est, ratio nomini respondens imperfectè indifferens, siue imperfectè eadem obiectuè.

XL. S V B S I S T E N T I A E ratio in hoc consistit quod sit terminus ultimus naturæ, per quem redditur incommunicabilis alieno supposito. ad æquatè conuenit materia & formæ, ideoque potest esse diuisibilis. ad agendum prærequiritur per modum conditionis complentis principium agendi. hac ratione actiones dicuntur esse suppositorum. Suppositum est compositum ex naturâ & subsistentiâ. Persona est suppositum naturæ intellectualis. Accidens est ens ex suâ naturâ natum inhærere in alio. Cum est entitas, inharentia est modus superadditus.

XLI. E N S attributa habet tria, quæ se habent instar passionum, Vnum, Verum, Bonum. Bonum absolutum dicit rei integratem & perfectionem in se; respectuum relationem conuenientiæ. Verum transcendentis situm est in conformitate rei cum intellectu. Vnum dicit negationem diuisionis materialiter sumptæ, siue ipsam entitatem sub indiuisione. Multitudo dicit res plures quarum una non est alia. Includit distinctionem vnius ab altero, non tamen necessariò diuisionem. Distinctio formaliter & præcisè in hoc consistit, quod una res non sit alia.

XLII. D I S T I N C T I O diuiditur generaliter in realem & rationis. Formale distinctionis rationis sunt conceptus aut plures aut diuersimodè rem eandem repræsentantes. Virtualis distinctio est eminentia quâ una & eadem entitas æquivalet pluribus. Distinctio formalis Scoti videtur cum virtuali coincidere. Signum distinctionis in genere est proportionata contradic̄tio. Individuationis physicum principium est cuiusque rei entitas integra.

XLIII. D A R I ens vnum supremum, quod fit rerum omnium principium omnino primum, ratio naturalis conuincit. huic omnes causæ secundæ essentialiter subordinantur, ideoq; sunt velut instrumenta illius, quæ proinde quocumq; vult sine vllâ difficultate impellit. Potest rem quamlibet permanentem reproducere, non potest tamen successuam, ideoq; nec tempus, nec vllam durationem. Continentur in hoc vniuerso agentia quædam creata incorporea, quæ philosophi Intelligentias vocant. illæ tum ex motibus cœlorum, tum ex alijs item effectibus deprehendi possunt.

Omnia ad Maiorem Dei gloriam.

Cum facultate superiorum.

